



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 87. Bellum Burgundiæ Dueis adversus Helvetios: Gransonium captum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A C. 1476.

§. LXXXVII.

Bellum Burgundiæ Ducis adversus Helvetios: Gransonium captum.

Interim Burgundiæ Dux nondum spem abjecerat, fore, ut Provinciæ status ei cederetur, hinc Helvetiis bellum denuntiat; jamque capta Lausoniensi urbe, citato victoriæ cursu Gransonium obsidet, paucosque intra dies urbem incensibus maxima ex parte nudat, tantamque ruinam, stragemque edit, ut præsidarii milites nullo amplius contra tormentorum vim loco muniti, ad arcem se recipere compellerentur; verum licet eam, extrema quæque perpeffi virili profluo robore propugnarent, sub honestis tamen conditionibus deditioem efflagitare cogebantur. Dux quidem petentibus annuit: sed cunctas, licet proprio chirographo munitas deditioem leges violavit, atque libertate obsessis denegata, eos in tres dividebat partes, ut cunctos triplici crudelitatis genere e medio tolleret; horum enim quosdam laqueo enecari, alios in proximo quodam lacu undis submergi, ceteros denique ferreis compedibus vinciri iussit. Comperta hac Tyrannide S. R. Imperii urbes, quæ cis Rhenum sitæ sunt, ratum, fixumque habebant, Lotharingiæ Ducem in pristina jura reponere; unde

unde Helvetiis validam armatorum ma-
 num in auxilium mittunt; cum ipsi ali-
 unde nec militum, nec armorum penuria
 laborarent.

Sæcul. XV.

A.C. 1476.

Helvetii, gens ceteroquin rudis, ac-
 tum propriæ suæ virtutis nondum con-
 scia, ad primam Gransoniensis obsidionis
 rumorem tumultuarie copias contrahunt,
 & circiter sex millia suorum in aciem
 educunt contra Burgundiæ Ducem, qui
 tamen in exercitu suo ferme quinquagin-
 ta bellatorum millia numerabat. Quare
 exiguo suorum manipulo Burgundionum
 castra invadere minime ausi, versus Ebro-
 dunum ad Novocastrensis lacus extrema
 sese recipiunt, ibidemque angustas mon-
 tium fauces vallo atque fossis circumdant,
 spe freti, quod hostes suos forte irruen-
 tes facili negotio deleturi essent.

§. LXXXVIII.

*Pertinax Burgundi consilium Hel-
 vetios in montium angustiis
 aggrediendi.*

Cum vero Burgundiæ Dux tam vali-
 dum recenseret exercitum, ut decem
 Burgundiones adversus unum Helvetium
 dimicarent, roboris sui fiducia elatus,
 nomini suo labem inuri existimabat, nisi
 ipsam quoque artem, naturamque expu-
 gnaret, spe fretus, loci opportunitatem,
 N n 2 qua